

Exam. Concil. Trident. part. i, de Operib. Infidel. §. 4. Justi-  
num disputare, Socratem & Heraclitum, quia secundum rectam  
rationem vixerint, fuisse christianos; Clementem dicere, Phi-  
losophiam per se justificasse Græcos; Epiphaniū statuere, sine  
lege Mosaicâ ac Evangelicâ, solâ lege naturæ mulios fuisse justi-  
ficiatos & salvatos. Erasmus autem Roterodamum in  
tali versatum errore, qvod dixerit, parum abesse, qvin  
exclamat, *Sancte Cicero, ora pro nobis*, vix est credibile,  
cum satyricum suum scribendi modum, ubiqve ferè in  
misellos detorserit sacrificulos. Istæ verò de Gentili-  
bus benevolæ opiniones, si unqva floruerunt, hoc  
nostro seculo videntur accepisse complementum. Pro-  
diit enim anno 1663. Amstelodami liber, *De Religione  
Gentilium errorumqve apud eos causis*, Authore Eduardo Baro-  
ne Herbert, de Cherburii & Castrî, Insulæ de Kerri in Hiberniâ,  
ubi de sufficientibus, imò de optimis agere se jactat mediis,  
qvibus ethnici ad conseqvendam salutem, vel usi fue-  
rint, vel potuerint uti. Postqvam enim primo disle-  
ruisset de immensa Dei misericordiâ, (*cur non etiam de  
Justitia?*) non potuisse fieri, qvin communia omnibus  
hominibus media ad salutem proponerentur: (*univer-  
salis adfuit, adestqve hodie vocatio*) nam media ad victum  
& amictum suppeditari largissimè, qvanto magis qvæ  
spectarent ad animæ pabulum. (*cur libentius corporis arri-  
piunt bona, neglectis spiritualibus aqve in usum patentibus?*)  
Esse etiam tritum Scholafticorum dogma, facientibus  
qvod in se est, non deesse gratiam salutarem. (*Defendane  
hoc Scholastici, non tamen, opinor, cum Herberio Pelagianis-  
zant*) Inde qvinque concinnat articulos, qvos non so-  
lum ab ethnicis perfectè cognitos, sed etiam ad impe-  
trandam beatitudinem sufficientes fuisse deprædicat.  
1. *Esse Deum summum;* 2. *Coli debere;* 3. *Virtutem & pietatem*

A 3.

esse